

etiam Herodis & Pontii Pilati: Dicuntur enim h. l. Judæi λαβόντες Ἰησοῦν διὰ χειρῶν ἀνόμων. β) Quod cruci eum affixerint: Dicuntur enim Judæi porro Christum προσπήξαντες, scilicet τῷ σταυρῷ, affigentes Christum cruci. γ) Quod hac ratione, per mortem nempe crucis, eum interfecerint, quod placuit Spiritui S., per vocabulum ἀνελεῖν seu ἀναρῆν, indicare, quia illud significat e medio tollere, & trucidare aliquem, sicut furem & latronem, Luc. XXIII, 32, crudeli item & tyrannico more interficere, sicuti infantes Bethlehemitici ab Herode sunt trucidati, Matth. II, 16.

### §. XI.

Omnia autem & singula verba textus nostri ad scopum antea commemoratum, h. e., ad obtinendam conuersionem, per veram pœnitentiam, in auditoribus suis, a Petro prudenter admodum diriguntur. Illum, de quo Petrus loquitur, quem auditoribus suis describit, & in vers. nostro 23, τέτον nominat, in commate 24, Ἰησοῦν Ναζωραῖον, τὸν τῆ Θεῆ ἀνδρα, vocat. Addit etiam, hunc fuisse ἀποδεδειγμένον εἰς αὐτὰς δυνάμει καὶ τέρασι καὶ σημεῖοις, ad demonstrandum auditoribus suis, hunc Jesum, de quo verba faciebat, fuisse, promissum a Deo, verum mundi Messiam, & vnicum illum mediatorem inter Deum & homines, qui & homo esset verus, & verus Deus, ex I Tim. II, 3, 5, præter quem non sit in vlllo alio salus, Act. IV, 12. Ab humanitatis assertionem Christi incipit, obseruante illud CHRYSOSTOMO, in h. l., & desinit in diuinitatis eiusdem Seruatoris demonstratione. Jesum enim primo Nazarenum appellat, vt, quam certo scirent, a ciuitate Galilææ Nazareth, Christum Ναζαρηαῖον, Matth. II, 23, XXVI, 71, vel Ναζαρηθῶν, Marc. I, 24, Luc. IV, 34, & Ναζωραῖον, vt h. l., & passim alias, dictum esse, propterea, quod sit ibidem educatus, quam probe iterum nouissent, quod ipsi illum sæpe, maledice & contumeliose, Ναζαρηαῖον nominauerint, secundum illud Joh. I, 4, 6, ἐκ Ναζαρεθ δύναται τι ἀγαθὸν εἶναι; tam certi etiam esse possint & debeant, hunc Jesum esse verum hominem, quem etiam propter eandem humanitatis Christi assertionem τὸν ἀνδρα vocat. Deinde vero Petrus eundem hunc Jesum, τὸν ἀνδρα, ἀπὸ τῆ Θεῆ ἀποδεδειγμένον δυνάμει καὶ τέρασι καὶ σημεῖοις, nominat, ad demonstrandam suis auditoribus